

**Disputatio medica inauguralis de suspirio cardiaco ... / eruditorum examini
subjicit Jacobus Stephen.**

Contributors

Stephen, James.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebant Adamus Neill et socii, 1804.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/k8tnt4xg>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution


This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

9.



DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SUSPIRIO CARDIACO

sic anguria pectoris

Viro reverendo Gra
hoe patrone obseruan
testimonium offert
Jac: Ste,



DISPUTATIO MEDICA

INAGURALIS

de

SUSPIRIO CARDIACO;

etiam

anatomicae summae novissime

disputationis anatomicae et physiologicae

D. GEORGII BIRD, SS.T.P.

academiae Edmundensi professori

DISPUTATIO MEDICA

anatomicae et physiologicae disputationis

novissime anatomicae medicorum professorum

INAGURALIS

1610 Georgii Birdi

disputationis in medicina honoratus ac privilegiata

titute et academico consenseruanda

SUSPIRIO CARDIACO.

JACOBUS STEREINI AM

SECRETUS

CIRURGUS

SOCIETATIS REX LONDINORVM BARON

Philipus de Stereini, Medicus, Academico profundo
Oriu... "Societas Regia Londinensis" Obit.

et Catechismum huius scotie jocundae sepius

EDINBURGH

EXCEDEBANT TERRAS NEXILL ET SCOTIA

1610

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
SUSPIRIO CARDIACO;

9.
QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
JACOBUS STEPHEN, A. M.
SCOTUS;
CHIRURGUS,
SOCIET. REG. PHYS. EDIN. SOC.



“*Afferat ipse licet sacras EPIDAURIUS herbas ;*
“*Sanabit nullæ vulnera cordis ope.*” OVID.

vii. Calendarum Julii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

P A T R I
THOMÆ STEPHEN

JACOBUS STEPHEN

S.

SUMMOS, care PATER, medicinæ honores ritè legitimè-
que consecuturus, non possum, quin tibi gratias agam :
qui, quantum in te erat, exemplo, monitisque paternis
me, dum tenerâ ætate eram improvidus futuri, ad vir-
tutem informâsti ; dein adolescentem ad EDINBURGUM
misisti, tanquam ad mercaturam bonarum artium, ubi
à principibus hujus memoriae medicorum ARTEM APOL-
LINAREM discerem. Quarè, quantum conniti animo po-
tero, quantum diligentia ac labore contendere, tantum
efficiam ne dedecorem et urbis auctoritatem et medici-
næ professorum, neve committam, ut, cùm omnia suppe-
ditata sint à te, egometipse mihi defuisse videar. Diù,
care Pater, vivas, latusque intersis liberis et amicis,
precor, et sim, quod mibi superest ævi, te dignus. Vale.

vii. Calend. Jul. EDINA.

JACOBO GREGORY, M. D.

ET

JACOBO HOME, M. D.

IN

ACADEMIA EDINENSI,

ILLI

MEDICINÆ PRACTICÆ,

HUIC

MATERIÆ MEDICÆ,

CLARIS PROFESSORIBUS;

HOC

SUMMÆ OBSERVANTIÆ

TESTIMONIUM,

SCRIPTIS

MANDAT

JACOBUS STEPHEN.

JACOB GREGORY, M.D.

rx

JACOB HOWE, M.D.

rx

FRANCIS D. HARRIS

rx

JOHN J. HARRIS

rx

FRANCIS D. HARRIS

FRANCIS D. HARRIS

rx

FRANCIS D. HARRIS


FRANCIS D. HARRIS

rx

FRANCIS D. HARRIS

FRANCIS D. HARRIS

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
SUSPIRIO CARDIACO.



PROOEMIUM.

§ I. **E**X quo tempore pariuntur mortales,
plurimis, iisque gravibus sanè mor-
bis, obnoxii sunt. Quàm sæpè infans, dum
etiamnum naturâ tener, inops, membris im-
becillus, unica parentibus cura et voluptas,
matris gremio fovetur et nutritur, gravissimis
morbis corripitur et perit?

A

II. Neque,

2 DE SUSPIRIO CARDIACO.

II. Neque, enimvero, rarò juvenes sani, et vi-ribus freti atque superbientes, ingenio pariter ac corpore validi, futura bona gaudiaque ex-spectantes, acutis morbis brevi superantur, vel lentâ morte extabescunt.

III. Quibus pepercerunt morbi, et alia plu-rima mala, quibus natura mortalium oppor-tuna est, iis, labentibus vitæ annis, obrepit se-nectus; et eorum corporum compages dis-solvit, viresque digerit. Musculi senio con-fectorum marcent et tremiscunt: membra solvuntur: nervi torpent: ipsaque demùm fugit divinæ auræ particula.

IV. Morborum, quibus opportuni sunt mortales, superbi rerum domini, ii ex organo-rum pravitatibus orti, uti gravissimis sæpè malis premunt, ita sanatu difficillimi sunt, et certissimè lethales. Namque morbus comitalis, *suspitus cardiacus*, et *hydrops ovariorum*, qui sanè morbi ex fabricæ pravitatibus cere-bri, cordis, et *ovariorum* nascuntur, adeò non medicinâ

medicinâ curantur, ut vix, imò sœpissimè ne
vix quidem, levari possint.

v. Quum, vel tempore quo vivimus, ubì
medicina præclaris scriptorum ingeniis subti-
lissimè exculta est, hi morbi nullis dum cogni-
tis medicamentis aut remediis sanari possint;
oportet medicos attento animo explorare, non
solùm quibus abditis et evidenter causis ori-
antur, sed etiam quæ sit proxima, seu conti-
nens. Fieri enim potest, ut, causis exploratè
cognitis, illucescat aliquandò optatus ille dies,
ubì non solùm his morbis, sed etiam aliis
qui hucusque arti APOLLINARI opprobrio fue-
runt, medici, si non mederi, saltem opitulari
sciant. Medicorum est confiteri, mancam po-
tiùs medicinam esse, quàm insanabiles mor-
bos.

vi. Nullus dum morborum fuit, ad quem sa-
nandum minùs valuit medicina, quàm *suspi-*
rium cardiacum, quod HEBERDENUS primùm
descripsisse dicitur. Quin hic auctor præ-
clarus,

clarus, et fidus in primis, omnium primus ostenderit, hunc suspiritum morbum sui generis esse, et dignum maximè, ad quem animos adverterent et intenderent medici, haud equidem negamus. Verùm confitendum tamen est, MORGAGNUM, quo, utì nullus modestior narrando, ita nullus observando accuratior, in epistolis, quas de sedibus et causis morborum edidit, exempla hujus morbi descriptsse, morbive saltem huic assimillimi.

VII. Neque verò inficiandum est, suspiritum, quem persequamur, vel antiquis neutiquām incognitum esse. Eo, utì videtur, laborabat SENECA, qui eum *SUSPIRIUM* appellavit. Neque, enimvero, ignorabant veteres GRÆCI. Namque, ut à CÆLIO AURELIANO accipimus,
 “ ERASISTRATUS memorat paralyseos genus,
 “ et *PARADOXON* appellat, quo ambulantes re-
 “ pentè sistuntur, ut ambulare non possint, et
 “ tūm rursùm ambulare sinuntur *,”

VIII. Ex

* Vid CÆL. AURELIAN. *Chron.* Lib. II. cap. i., pag. 348. Edit. Amman.

viii. Ex quo tempore, in *actis medicis Londiniensibus*, HEBERDENUS de hoc morbo observata in apertum protulit, alii medici, iisque magni et ingenio clari, FOTHERGILIUS, nempè, PERCIVALIUS, et PARREIUS, eum attentando animo observârunt, et accuratè luculenterque descripserunt.

CAP. I.

C A P. I.

De Nominē et Definitione.

ix. MORBO, de quo scribimus, aliud alii dederunt nomen. *ANGINAM PECTORIS* appellat HEBERDENUS: sed, nostrâ opinione, parùm aptè; proptereà quòd nihil ferè ei commune est cum iis morbis, qui generatim *ANGINÆ* nominantur. Neque, profectò, aptius *SYNCOPEN ANGENTEM* denominat PARREIUS; quandoquidem, quorum pectora angit, iis rassisimè anima deficit.

x. Cùm ita sit, SENECA M imitati, *SUSPIRIUM* nuncupabimus; at, quippe cùm cordis ipsius pravitatibus, cordeve iis vicinarum partium malè affecto, oriatur, *CARDIACUM* cognominabimus.

minabimus, quò distinguatur à suspiriis, quæ moveant aliæ causæ.

xi. Morbus, quem persequimur, definiri potest, “ *suspirium præcipue mares quinquagennarios, cito pede, statim post cibum, vento simul adverso, ambulantes, accliviave ascendentibus, animisve perturbatos, subito adorans intolerabili pectoris angore, vitæ extinctionem intentante: simulque dolore sub aliqua pectoralis ossis parte, at plerumquæ paulò inclinatiore ad sinistrum latus; sœpis simè ambitu sinistri humerorum brachiorumque, rariùs dextri, usquè ad cubitum, imò aliquandò etiam ad extremos digitos, pertinente, nec multò post eodem itinere remeante; et, nisi jam inveteraverit, intermisso motu et tranquillato animo protinus conquiescente.* ”

C A P. II.

De Historia.

XII. SUSPIRITUS *cardiacus* mares, præ fœminis, invadit, eos præsertim sanguineâ corporis temperatione, et præter modum sanguine plenos. Impuberes et adultos vix unquam adoritur, rarissimè ætate florentes et medios. Quinquagenarii, atque ætate provectiones, et, ut nonnulli, quamvis forsitan falsò, contendunt, podagrici, præ cæteris, ei obnoxii sunt.

XIII. “ *Crediderim,*” inquit HEBERDENUS, “ me vidisse non pauciores, quam centum hoc “ morbo ægrotantes; in quibus numeravi tres “ fœminas, et unum puerum duodecennem, qui “ aliquid simile hujus affectus experti fuerant.

“ Cæteri

*“ Cæteri omnes fuerunt viri, qui vel propè accedebant ad annum quinquagesimum, vel eum excesserant *.”*

xiv. Hic morbus miseros non continentè urget, sed interpositis temporibus. Accedente accessione, oritur in pectore sensus angustiæ, anxietas, præcordiorum gravitas; atque miser sibi perindè videtur, ac si ligamento circumPLICATUS arctè constringeretur. Molestissimus pectoris angor incipit, aliquandò ad scrobiculum cordis, sæpiùs autem sub aliqua parte ossis pectoris. Dolor dein, ex transverso thoracis sinistri, tūm viâ musculi pectoralis sinistri, pertendit; neque raro, ambitu internæ sinistri humorum partis, pervagatur ad cubitum, imò nonnunquam etiam usquè ad manum et extremos digitos.

B

xv. Angor,

* Vid. HEBERDEN. *Comment. in Morbor. Hist. et Curat.* cap. 70.

xv. Angor, quem describimus, primùm plerumquè pectus percellit, ubi, post assumptos cibos, homo citato pede, vento simul adverso, ambulat; aut ubi acclivia loca properantèr ascendit; aut ubi animo angitur; aut ubi gravi labore, vel quovis molimine sese vehementius solito exercet. Primùm ut angor pectus occupat, homo continere pedem, et interquiescere cogitur. Si enim in motu aut molimine perseveret, angor adeò intenditur, ut præsentem mortem intentet. Ubì autem afflictus substitit paulispèr, aut recubuit, et respiravit a metu, angor intermittit sic, ut integrum relinquat.

xvi. Initio hujus ægritudinis, homines cæteris omnibus valent; et angoris integritate, sæpè aliquot dies, nonnunquam etiam hebdomadas, fruuntur. Plerumquè verò, haud ita multò pòst, iisdem assimilibusve causis eosdem iterùm angores et dolores iterùmque patiuntur.

xvii. Postea

xvii. Postea verò quām hic morbus annum vel diutiū inveteraverit, accessiones, uti brevioribus intervallis redeunt et tardiū finiuntur, ita graviores sunt; neque, ut initio, integritatem relinquunt, per quam homo respiret et interquiescat. Tum, porrò, angor incessit non solū ambulantes, accliviaque ascendentes; sed etiam lecto in sinistrum latus cubantes, quos sāpē adeò cruciat, ut exsurgere cogantur. Nonnulli, at omnes verò non, quibus malum inveteravit, angore afficiuntur, non solū dum rhedā vehuntur, aut equitant; sed etiam dum devorant cibos, tussiunt, alvum dejiciunt, loquuntur, aut animis perturbantur. Rari quoque fuerunt, quos angor occupavit et stantes, et sedentes, et expergiscentes ex somno *.

xviii. Ubì eò perventum est, sensus molestus inter spirandum percipitur, perindè quasi

* Vid. HEBERDEN. *Comment. in Morbor. Hist. et Curat.*

quasi per *laryngem* cute nudatam frigidus vapor irrueret. Aliquandò devorandi difficultas est, saltemve alicujus tanquam in gula inhærentis sensus.

xix. Hoc ferè tempore, omnia mala, quibus mortales premit hic morbus, ingravescunt. Per accessiones, frigescunt, haud rarò, et pallescunt facies et membrorum extremitates, simulque frigido diffluunt sudore. Nonnunquam, at rarissimè, anima deficit, neque, nisi tardissimè, ægri reviviscunt *. Interdum, at rarissimè, brachium simul torpet et tumet †.

xx. Angores demùm præteritis graviores, ex improviso invadunt, ægrosque miserabiliter afflictos derepentè occidunt. Nonnunquam autem

* Vid. PARREI. *Inquiry into the Symptoms and Causes of the Syncope Anginosa.*

† Vid. HEBERDEN. *Comment. in Morb. Hist. et Curat.* cap. 70.

autem ægri quietè concidunt, et, mortalitate expletâ, momento horæ ad plures migrant.

xxi. Hujusmodi sunt præcipua mala, quibus spiritus cardiacus mortales affigit. Per integritates, arteriarum motus naturales sunt. Quales verò sint inter accessiones, nondùm inter se consentiunt medici. Non concitari, fert HEBERDENUS *. Contrà, PARREIUS et WALLIUS, experientiâ docti, asserunt, plerumquè esse debiles et inæquales †. JOANNIS HUNTERI, ex ingenio clarissimi, qui suspirio, quod persequimur, laborabat demùmque mortuus est, arteriæ identidem adeò imbecilliter micabant, ut earum motus vix digitis carpo admotis percipi possent. Quum aliqua similitudo huic morbo intercedat cum animæ defectu,

* Vid. HEBERDEN. *Comment. in Morb. Hist. et Curat.* cap. 70.

† Vid. PARREI. *Inquir. into the Sympt. and Caus. of the Syncop. Angin.* p. 45.

fectu, inducimur, ut PARREIO et WALLIO assentiamur.

xxii. Plerorumque, qui angoribus, quos describimus, affliguntur, spiritus ferè naturalis est. Nam suspiria, quæ sæpè ducunt, nullo pulmonum, cæterorumque organorum quibus trahitur et emittitur spiritus, malo oriuntur. At nonnunquàm tamen vera, neque ea parva, urgét spirandi difficultas. Hoc verò malum neutiquàm ad morbum constituendum necessarium est.

xxiii. Functiones, quas *NATURALES* nuncupant medici, haud multùm afficiuntur. Nonnunquàm quidem, at nequaquàm sæpè, stomachus inflatus spiritum eructat; sed, cæteroquin sanus, cùm esculenta tum potulenta appetit, assumptaque concoquit.

xxiv. Per angorum integritates, æger hilaris est, nec futuri metuens; nescius, quàm periculo morbo laboret. Quamvis seriùs ociùs

ociùs lethalis, suspitus cardiacus multos sæpè annos antè urget, quām ægrum tollit. Mortales mediâ ætate, qui cæteroquin sani sunt, sæpè longum tempus ejus vim superant. Vargentes autem ætate, et annis graves, quorum jam vires fatiscunt et senescunt, breviùs opprimuntur.

xxv. Dolor, quo hic morbus mortales affligit, paucis plerumquè horæ momentis remittit et conquiescit. Unus autem et alter mortalium fuerunt, ut à HEBERDEN accipimus, quos, cùm jam inveteravisset morbus, per aliquot horas, aut etiam dies, affixit: imò unius meminit hic medicus, quem, vel primâ accessione, totam noctem percruciat *

C A P. III.

* Vid. HEBERDEN. *Comment. in M̄rb. Hist. et Curat.* cap. 70.

C A P. III.

De Inspectis Cadaveribus.

XXVI. PATEFACTIS cadaveribus eorum, quos sustulit hic morbus, alia aliàs oculis obveniunt. Verùm in plerisque tamen, si non in omnibus, cor, aut vasa majuscula ex eo profecta, morbida reperiuntur. In aliis non nullæ cordis valvularum in os conversæ in conspectum veniunt: in aliis cor conspicitur adipe obvolutum et conditum *. Aliquandò musculosæ

* Vid. WALL. *Med. Transact.* vol. iii. pag. 16.
et 17.

FOTHERGILL. *Med. Observat. and Inquir.*
vol. v. pag. 239.

PARREI. *Inquiry, &c.* pag. 12, 23. et 31.

musculosæ cordis fibræ sunt teneræ, flaccidæ, pallidæ, et laceratu faciliores multo, quām sanæ solent. Haud raro costarum cartilagini-nes oculis se in os conversas offerunt.

XXVII. Arteriæ cordis, *CORONARIÆ* dictæ, ut compluries observârunt cadavera introspi-cientes, aut ex parte in os conversæ oculis ob-veniunt; aut naturâ membranaceâ cartilagi-nosâve obturatæ, eâdemve crustatae, usquè eò ut sanguini prorsùs, saltemve magna ex parte, imperviæ sint. Hanc arteriarum conditionem PARREIUS, quantùm scimus, primùm obser-vavit; atque opinatur, omnium aliquatenus communem esse, qui suspirio cardiaco labo-rent, et, in quibus cadaverum cordibus ferro patefactis non conspecta sit, ea parùm curiosè perlustrata esse *.

C

XXVIII. PAR-

* Vid. PARREI. *Inquiry, &c.* pag. 110. et 111.

XXVIII. PARREIO autem, hac de re, accedere non possumus. Credi enim vix potest, FOTHERGILIJUM et HEBERDENUM, rerum morbidarum, perindè ut in cadaveribus sunt, vindendarum studiosissimos, et qui, cordis fabricæ pravitates suspiciati, de industria corda eorum, quos abstulerat hic morbus, pvestigarent, tales arteriarum coronariarum pravitates, si quæ, non deprehensuros fuisse.

XXIX. Interdum ipsa arteria magna, vel *semilunares* ejus valvulæ, solito ampliores sunt, et duriores. Aliquandò, sed raro, nihil omnino morbidi in corde aut arteriis percipitur. Ubì verò sana harum partium fabrica est, capsula cordis solito plus humoris continet*.

XXX. Præter autem morbida, quorum mentionem fecimus, alia nonnunquam inventa sunt. Cadavera enim miserorum, quos concidit hic morbus, rimantium oculis interdum obvenerunt,

* Vid. WALL. *Med. Transact.* vol. iii. pag. 17.

obvenerunt, cor aut, præter naturam, parvum *, aut amplum, aut dilatatum †, aut flacidum et pallidum ‡; involucrum cordis, præter modum, crassum ||; arteria magna, ubi sese arcuat, amplificata, debilitata, aut in os conversa §; aqua in *pleuræ* sacco ¶.

xxxii. Hæ

* Vid. Hom. *Life of HUNTER*, pag. 63.

† Vid. MORGAG. *Epist.* xxvi. § 31.

WALL. *Med. Transact.* vol. iii. pag. 17.

BLACK. *Med. Mem.* vol. iv. pag. 268.

PARREI. *Inquiry, &c.* pag. 23. et 31.

‡ Vid. Hom. *Life of HUNTER*, pag. 63.

JOHNSTON. *Med. Mem.* vol. i. pag. 380.

BLACK. *Med. Mem.* vol. iv. pag. 269.

|| Vid. Hom. *Life of HUNTER*, pag. 62.

§ Vid. MORGAG. *Epist.* xxvi. § 31.

WALL. *Med. Transact.* vol. iii. pag. 18.

HOM. *Life of Hunter*, pag. 63.

BLACK. *Med. Mem.* vol. iv. pag. 269.

PARREI. *Inquiry, &c.* pag. 23. et 32.

¶ Vid. WALL. *Med. Transact.* vol. iii. pag. 16.

FOTHERGIL. *Med. Observat. and Inquir.*

vol. v. pag. 239.

PARREI. *Inquiry, &c.* pag. 11.

xxxii. Hæ res morbidæ sunt, quæ, post mortem, in cadaveribus eorum quos abstulit suspirium cardiacum, incidentium oculis obveniunt. Utì autem rarissimè, si unquam, omnes simul in eodem cadavere deprehenduntur, ita rarissimè non pauciores pluresve.

C A P. IV.

C A P. IV.

De Diagnosi.

XXXII. PROXIMUM est, ut suspirium cardiacum dignoscamus ab aliis morbis, qui aliquibus id signis referant. Ei aliqua similitudo est cum eo *hydrothorace*, qui non à hydropico corporis habitu oritur, sed à *hydatidibus*. Id quoque aliquantum simulant *aneurysmus*, *asthma*, et *hydrops pericardii*. Quibus itaque notis ab his morbis distinguamus, nunc quām brevissimè exponere nobis in animo est.

XXXIII. *HYDROTHORAX*, — ubi hydropico corporis habitu oritur, facile à suspirio cardiaco dignoscitur, de quo scribimus. Iis enim

enim, quibus aqua in pectore est, non item iis qui suspirio anguntur, facies pallida est, sitis importuna, urina parca, perpetua spirandi difficultas, aliaque quæ nullam relinquunt de morbi natura dubitationem.

xxxiv. Quòd si aqua in una tantùm thoracis parte continetur, et *hydatides* eam effundunt, signa movet iis haud absimilia, quæ suspirium cardiacum. Verùm etiam hæc tamen hydrothoracis species, et suspirium de quo scribimus, dignosci possunt. Sensus enim molestus, quasi ex quadam pectoris angustia, nunquàm tam magnus est in *hydrothorace*, quàm in suspirio cardiaco. Neque, porrò, dolor, qui per humerum et brachium pervagatur, æquè in illo morbo urget, ac in hoc; neque anxietas, et præcordiorum gravitas. Quinetiam, *hydrothorax* non, sicut suspirium cardiacum, quiete intermittit, sed sive in latus cubat æger, sive supinus, sive pronus, aggravatur.

xxxv. ANEU-

XXXV. *ANEURYSMUS*,—quos miseros infelicitat, eos non solùm perpetuâ anxietate afficit, et præcordiorum gravitate, sed haud rarò etiam cordis palpitatione. Contrà, suspirium cardiacum non continenter urget, sed, interpositis temporibus, accedit, vicissimque intermittit. Quinetiam eorum, quos hic morbus subindè corripit, arteriæ, inter accessionem, solito quidem imbecilliùs micant; sed, per integritatem, ferè naturaliter: atque cordis palpitatio, siquandò accedit, fortuitum potiùs signum habenda est, quàm proprium.

XXXVI. *ASTHMA*,—juxtà atque suspirium cardiacum, subitò adoritur; et sensu quasi alicujus, pectus coangustantis et constringentis, miseros afficit. *Asthma* autem, contrà ac suspirium quod persequimur, haud rarò morbus hæreditarius est. *Asthmate*, porrò, affectus semper, suspirio correptus rarissimè, magnâ spirandi difficultate premitur. Quinetiam ille morbus, tertiâ plerumquè noctis vigilâ,

giliâ, invadit, ubi homo lecto conquiescit ; hic, contrà, interdiu, ubi sese exercet.

XXXVII. *HYDROPS PERICARDII* — perpetuâ præcordiorum gravitate ægros urget ; susprium cardiacum non, nisi interjectis temporibus. Hic, porrò, morbus sic desinit, ut ex toto sequatur integritas, per quam arteriarum motus naturales sunt : ille, vix quicquam aut nihil remittens, continuat, arteriarum ictibus cùm vi tum temporibus inæqualibus ; et increscit, donec miseros penitus suffocet.

XXXVIII. Hi sunt morbi, quibus notarum quarundam similitudo est cum suspirio cardiaco. Præter eos, quantum scimus, nulli sunt, qui ex similitudine errorem creare possint.

C A P. V.

De Causis.

XXXIX. UNDE oriatur suspirium cardiacum, fusè dicere non opus est; eoque minùs, quòd esset repetere multa ex iis quæ suprà diximus. Ad rem itaque nostram satis, hìc loci, erit, tantùm per pauca adjicere.

XL. *PROCLIVITAS* in morbum, quem tractamus, consistit in quadam corporis proprietate, quâ, cursu vitæ, mortales fiunt apti, quorum in corde, aut arteriis hinc ductis, aut partibus proximis vicinisve, pravitates nascantur.

XLI. Quid autem sit proprietas, certò dicere non possumus. Ad has verò pravitates faciendas conducunt, ut medicis innotuit, iners et desidiosum otium, opiparæ dapes, carnosæ cœnæ, et mentis vacuitas.

XLII. EXCITANTES causæ morbi sunt illæ pravitates ipsæ; quæ cor, partim nervos comprimendo *, partim impediendo, ne coronariæ arteriæ sanguinem diffundant ex quo nutriatur, insigniter debilitant, et idoneâ vi sanguinem urgendi impotens reddunt.

XLIII. Accessionibus verò dant occasionem, quæcunque sanguinis motum concitant. Hujusmodi sunt graduum accliviumve ascensus; citato pede ambulatio; nimii animi motus; devorandi, tussiendi, dejiciendi, loquendi nissus; et, ubi inveteraverit morbus, rhedæ vel equi vectio.

XLIV. CON-

* Aud. MONRON. SECUND. Prælect. *De Anat. et Chirurg. in Acad. EDIN.*

XLIV. *CONTINENS* accessionum causa est cordis imbecillitas, ob quam ejus neque auriculæ possunt idoneâ vi sanguinem in ventriculos propellere, neque ventriculi in arterias. Hinc fit, ut, causis arterias excitantibus, cordis calva sanguine per venas confuso, præter natu-
ram, graventur; et morbus, de quo scribimus,
derekente superveniat, gravissimisque miseros
cruciet angoribus.

CAP. VI.

C A P. VI.

De Ratione Signorum.

XLV. NUNC nostrum est, quantum appareat ex cognitis iis, quæ in patefactis cadaveribus eorum, quos superaverit hic morbus, observantur, exponere, quæ sit ratio malorum, quibus mortales urgeat.

XLVI. Satè supèrque constat, cor sive penu-
riâ sanguinis per arterias coronarias distri-
buti, sive valvulis in os conversis, sive adipe
gravante, sive humore in capsula, non posse
tantâ vi sanguinem in arterias impellere, quan-
tâ arteriæ eundem per venas in id ipsum ur-
geant. Quo fit, ut arteriæ causis, quæ earum

motus concitant, veluti ascensu acclivium aut graduum, aut citâ ambulatione adverso vento, aut vehementibus animi concitationibus, aliisque, si qua, assimilibus, sanguinem per venas in cor festinatiùs urgeant, quâm ut hujus cava possint accipere et transmittere.

XLVII. His causis fieri non potest, quin subitò cùm arteriæ, quæ in pulmones sanguinem diffundunt, tum venæ conjugæ, quæ eundem ex his in cor conducunt, sanguine, supra modum, distendantur; et animæ spiramenta usquè adeò comprimant, ut homo sibi videatur in eo esse, ut suffocetur, et, ne protinus pereat, à motu interquiescat, et animum componat.

XLVIII. *ANXIETAS.*—Quoties causis modò dictis, aliâve quâcunque obstatur, ne pulmones tantum spiritum hauriant, quantus sufficiat ad sanguinem ex purpureo in coccineum convertendum, æger angitur sensu intolabili, quem *ANXIETATEM* medici nominant.

XLIX. *GRAVITAS PRÆCORDIORUM* — oritur sanguine, à dextro corde tardè et difficilè per pulmones in sinistrum perlabente. In suspirio cardiaco hujusmodi tarditas et difficultas sunt, quia, præ cordis debilitate, neque dexter ventriculorum idoneâ vi sanguinem in arteriam pulmonum, neque sinister in arteriam magnam, impellere potest.

L. *SENSUS ANGUSTIÆ IN PECTORE*, — qui, accedente accessione, ægrum urget, et ei perindè videtur, ac si ligamentum thoracem constringens moveret, oritur ex nimia cordis pulmonumque plenitudine. Cor enim, pro arteriis debile, neque salutari vi sanguinem urgendi potens, non solùm ipsum, præter solitum, plenum fit, sed et facit, ut pulmones nimis impleantur. Namque, sinistro corde non satis enixè se exinaniente in magnam arteriam, sanguis non horsùm, utì debet, derivatur ex pulmonibus. Hinc in pectore efficitur sensus angustiæ, pariter ac si thorax ligamento inducto constringeretur.

LI. *DOLOR*

LI. *DOLOR AD SCROBICULUM CORDIS*,—qui, hūc pectoris illūcque, migrat, et haud raro, humerorum brachiorumque lævi ambitu, ad cubitum usquè, imò et extremos digitos, propagatur, oritur, ut nobis videtur, ex corde sanguine supra modum distento, et capsulam magnoperè distendente. Capsula enim distenta vicissim attrahit *mediastinum*; quod tamen, præ marginibus ubique fixis, accedere non potest. His *pleuræ* partibus se mutuò attrahentibus, neque tamen sibi invicem appropinquantibus, dolor ortus, per eas, hūc illūc vibrat; interim, ex transverso, à capsula cordis, ad *mediastinum*; interim ab osse pectoris, ad spinam; interdum à scrobiculo cordis, ad alterutrum humerorum. Horum autem sinistrum, præ dextro, plerumquè petit dolor, quia sinistra laminarum *mediastini*, magis quàm dextra, distentâ cordis capsulâ avellitur.

LII. Ad humerum cùm pervenerit, haud raro, per nervos, ambitu brachiorum, at sinis-

tri longè sæpiùs, ad cubitos usquè, imò extre-
mos digitos, pererrat; undè ferè statim, eun-
dem ambitum remensus, scrobiculum cordis
repetit.

LIII. *SENSUS MOLESTUS IN LARTNGE, ET DEVO-*
RANDI DIFFICULTAS,—forsan oriuntur spasmo,
quo hæ partes, ob consensum, qui, per nervos,
his intercedit cum corde, afficiuntur.

C A P. VII.

C A P. VII.

De Prognosi.

LIV. OMNES morbi, quibus affliguntur mortales, distribui possunt in acutos et longos. Acuti juniores, robustos, et sanos, præ cæteris, adoriuntur. Hujusmodi morbi citò increscunt, et brevi aut ipsi finiuntur, aut ægrum tollunt. Utì autem naturâ violenti sunt, et neglecti haud rarò citam mortem afferunt, ità validis medicamentis et remediis tempestivè adhibitis sæpè perducuntur ad sanitatem.

LV. Longi, contrà, potius invadunt vergentes ætate, et senes; lento gradu procedunt; et sæpè levibus tantùm malis ægros

E afficiunt.

afficiunt. At levatu tamen difficiles sunt, neque profectò rarò medicinâ insanabiles.

LVI. Ad longi generis morbos pertinet susprium, de quo scribimus; et, cognitis morbidis, quæ in cadaveribus incisis deprehenduntur, satis supèrque apparet, medicos etiamnum nescire, quâ ratione sanetur. Cùm ità sit, nunquàm ægro securitatem polliceri possumus; quia morbus insanabilis est, nisi ubì oritur ex magna vi adipis cor comprimente. Hinc verò rarissimè proficiscitur; et, etiamsi sæpiùs, quid ægri interesset, cùm medicis nihil dū innotuerit, quo discernant, quâ causâ efficiatur.

C A P. VIII.

C A P. VIII.

De Curatione.

LVII. MORBUS, de quo scribimus, ubi, ut plerumquè, oritur ex arteriis coronariis in os conversis, vix, aut ne vix quidem, medicinam admittit. Ubì autem, ut interdum, nascitur ex corde compresso, ei nonnunquam succurri potest.

LVIII. Quum ità sit, medico animadverendum est, an sit, quamobrèm suspectur, morbum oriri ex cordis, vasorumve majusculorum hinc profectorum, pravitatibus, an ex

ex cæteris causis, quas suprà memoravimus.

LIX. Quoniam hic morbus, interpositis temporibus, redit, medicorum est ægro non solùm præcipere, à quibus abstineat, itemque quæ assumat et faciat, ne angores revertantur; sed etiam exponere, quibus medicamentis et remediis leventur urgentes.

LX. *PRIMO CONSILIO*, — cavendum est, ne totum corpus ejusve partes, ultra salutarem modum, sanguine impleantur. Quibus igitur caveatur plenitudo, paucis explicabimus.

LXI. *Abstinentia*. — Ne corpus justo plenius fiat, oportet ægrum, quàm maximè poterit, abstinere à carnibus, saccharo, et oleosis, quippe quæ corpus pinguefaciant et impletant. Pro his, debet terrâ natis farracei potissimum generis vivere. Neque his quidem se ingurgitare licet, ne nimia stomachi plenitudo morbi redditum invitet.

LXII. Eundem

LXII. Eundem in finem, huic morbo opportuni debent abstinere à cerevisia, *vino pomaceo*, et *pyraceo*, aliisque potulentis, quæ inflatione stomachum distendunt. Imò etiam oportet eos vel sinceræ aquæ, distillatorumque aquâ aromaticisve temperatorum, esse modicos.

LXIII. *Exercitatio*.—Ne huic morbo obnoxius sanguine, supra modum, plenus fiat, debet semet quotidie exercere. Caveat autem, ne ascendat acclivia gradusvē, aut etiam planis locis cito pede, vento simul adverso, ambulet. Lentæ æquo loco ambulationes, uti minimè periculosæ sunt, ità, modò in iis utendis, quotquot eant dies, cautè perseveret, efficacissimæ.

LXIV. *Exinanitio*—ad corporis plenitudinem tam cavendam, quam minuendam, plurimum sanè pollet. Hinc adducti sunt medici, ut experientur, an suspirii cardiaci accessiones arcere possent missione sanguinis, vomitione, purgatione,

purgatione *, et *fonticulis* †. Quum verò materia, ex corpore his modis dempta, nondùm responderit, sed, ut nonnulli comperti sunt, potiùs nocuerit ‡, de iis singulis dicere, parùm nobis necessarium videtur.

LXV. Dum sic cavetur, ne totum corpus nimis plenum fiat, cavendum quoque est, ne vehementer exercitatione, languido sanguinis in membrorum extremitatibus motu, stomachi ingurgitatione inflatione, alvo spiritu fæcibusve distentâ, ligamentis corporis truncō inductis, diù sedendo, vehementibus animi concitatiōnibus, aliisque si qua similibus, sanguis, supra modum,

* Vid. HEBERDEN. *Comment. &c.* cap. 70.

† Vid. PAYTHER in PARREI. *Inquiry, &c.* pag. 155.
BLACK, *Med. Mem.* vol. iv.

‡ Vid. HEBERDEN. *Comment. &c.* cap. 70.

PAYTHER. in PARREI. *Inquiry, &c.* pag. 155.
BLACK, *Med. Mem.* vol. iv.

modum, cumuletur in partibus, faciatque ut motus cordis perturbentur.

LXVI. *Resorbentia*—quæ citent, si sit, quòd medici putent, morbum oriri ex aqua in cor-dis capsula, aliquantùm fortassè proficiant. Fieri enim possit, ut effusus humor resorbeatur, et, in sanguinem delatus, corpore elimi-netur per exitus naturales. Optima forsitan me-dicamenta, quæ hoc consilio assumantur, sunt *superatartris potassæ*, et *digitalis*.

LXVII. *Stimulantia, et spasmum solventia*,—videntur nonnunquam profuisse; præsertim iis, qui, dum suspirio cardiaco obnoxii sunt, stomachi inflationibus afficiuntur, et conco-quendi difficultate. Hujus generis medica-menta haud pauca dicuntur aliquoties, pro tempore, profecisse; *aqua*, nempè, *Bathoni-enses*, vinum, *æther sulphuricus*, *ammonia*, *cam-phora*, *aqua menthæ piperitidis*. His autem, ut comperti sunt *HEBERDENUS*, *FOTHERGI-LIUS*, et *BLACKIUS*, præpollet opium. Quò hæc

hæc cor quām minimè stimulent, eorum, qui assumunt, alvi mitioribus catharticis laxari debent.

LXVIII. *SECUNDUM CONSILIU M.*—Nunc considerandum est, quibus medicamentis et remediis leventur accessiones. Dolendum autem est, quòd, quæ, hunc in finem, experti sunt medici, ea plerumquè parùm, aut omnino non, profuerunt.

LXIX. *Sanguinis detractio*—an propositum, nondum satis constat. Præsentaneum remedium compertus est PERCIVALIUS; contrà, prorsùs alienum HEBERDENUS. Sanguinem medicus, si quandò mittere statuat, debet, ut benè monet PARREIUS, elicere plagâ exiguâ, corpore interim in latus cubante: et, dum incisâ venâ exsilit, carpo admotum digitum habere, ut intelligat ex arteriarum motibus, reviviscantne vires, an fatiscant. Si quandò nec ipse præstò esse potest, nec peritus qui sic consideratè sanguinem eliciat, interdicat, ne quis aliud, qui ve-

nam

nam feriat, tres plus uncias unâ vice emit-tat *.

LXX. *Vomitio*,—ut à PERCIVALIO accipi-mus, angores, quibus cruciantur suspirio car-diaco correpti, statim ferè levat. Inefficacem verò compertus est HEBERDENUS. Et, enim-vero, quum ambulatione, acclivium graduumve ascensu, aliisque quæ arteriarum motus acce-lerant, accessiones hujus morbi revertantur, fieri, nostrâ opinione, vix potest, quin moli-mina ad vomendum necessaria eas aggravent potius, quàm mitgent.

LXXI. *Alvi exinanitio*,—utì tutius est, ità validius præsidium. Catharticorum optima, ut PARREIO videtur, sunt ea, quæ alvum ci-tissimè movent, velut sena, scammonium, ja-lapa, vel quidam ex *salibus secundariis*. Quò verò hujusmodi cathartica optatò respondeant, in alvum, ex inferiore parte, per clysterem in-

F

fundendæ

* Vid. PARREI. *Inquiry, &c.* pag. 164. et 165.

fundendæ sunt lotiones, quæ hanc subducant.
Hunc in finem, nullæ, ut comperit PARREIUS,
meliores sunt, quām quæ unam *muriatis sodæ*
unciam, multâ aquâ solutam, continent *.

LXXII. *Stimulantia et spasmum solventia,—*
angores, necne, mitigent, quibus mortales sus-
pirium cardiacum afflit, medicos experientia
nondūm satis edocuit. Quum hic morbus po-
tiùs consistat in cordis impotentia, quâ san-
guinem, per ejus cava, urgere nequit, quām
in spasmo; ei, ut nobis videtur, hujusmodi
medicamenta, quippe cùm vehementer inci-
tent, parùm convenient. Nonnunquām, ut
compertus PARREIUS est, spem fallunt, ali-
quandò multùm nocent. Nisi igitur quòd
spiritum digerunt, nihil prosunt: et nun-
quām, ut censet idem auctor, experienda sunt,
donec cætera præsidia spem frustrata sint;
et arteriæ se adeò submiserint, ut earum mo-
tus

* Vid. PARREI. *Inquiry, &c.* pag. 165.

tus vix, aut ne vix quidem, persentiri possint *.

LXXXIII. *Rubefacientia, frictiones, et externus calor*,—inferiorum membrorum extremitatibus admota, forsitan prosint, modò hastantùm partes incitent. Hujusmodi verò remediis, aliisque quorum meminimus, angores mitigari et abigi posse, parùm credimus.

* Vid. PARREI. *Inquiry, &c.* pag. 166.

F I N I S.

62

3

